



Polyanthea Sacra

Ex Universæ Sacræ Scripturæ Utriusque Testamenti Figuris, Symbolis, Testimoniis, Nec Non E Selectis Patrum, Aliorumque Authorum, Sententiis, eruditis Interpretationibus, Similitudinibus, rarisque Historiis collecta, Et Copiosis, Exquisitisque Materiis Moralibus De Virtutibus Et Vitiis Pro ...

Spanner, Andreas

Augustae Vindelicorum, 1702

§. 20. Peccatum vitandi varia motiva. Ex Veteri. Ex Novo, Patribus, & aliis.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-79369](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-79369)

Fœtet corpus ab anima separatum, fœtet anima à Deo sejuncta. Putrescit corpus, putrescit anima: vermes procreat corpus, vermes conscientia, ac morsus procurat animæ. S. Chrysol. l. 19.

Corpora peccatorum quid sunt? nisi sepulchra mortuorum. Guarricus l. de script. sacrar. utilit.

Quod majus homicidium, quàm ut seipsum interficiat homo? Quoties voluntariè, & ex studio, peccatum perpetrat, quid aliud, quàm seipsam jugulat? Drogo ost. l. de Sacr. Pass.

§. XX.

Peccatum vitandi varia motiva,

Ex Veteri.

Aperientur oculi vestri. Gen. 3. 5. Nullum non lapidem movet diabolus, ut religiosam vitam impugnet, & obedientiam: qua nihil sublimius si minus abolere, certè imperfectam reddat: quò enim obedientia minus habet oculos, & plus caeca est; eò generosior, & illustrior habetur. Fernandus hic.

Quomodo possum hoc malum facere, & peccare in Deum meum? Gen. 39. 9. Hebr. *quomodo faciam malum grande?* Impossibilitatem in seipso agnoscit, ferendi tam grande onus; ut annotat Oleaster: hoc malum peccatores, dum peccare volunt, habent; quòd, cum peccare cupiunt, peccatum attenuant. Justi verò omnes nervos ejus extendunt; & tam grave, ac magnum, faciunt; ut vires eorum omnino excedat; & sic dimittant; nec se posse, aut scire, fatentur. Arcones in II. 1. 4. Disc. 5. Impotens sibi quodammodo esse videbatur. Nec enim dicebat, nolo sed non possum: fieri enim non posse videtur; ut, qui Deum timet, in illum peccet. Octavianus de Tullio in Eccl. 1. 27.

Ponderebat (Absolon) *capillos capitis sui pondere publico.* 2. Reg. 14. 26. Id est, æstimabat peccata sua secundum publicum judicium hominum: qui non attendunt peccati damnum, sed tantum præsentem peccati delectationem. Dolosum est pondus: deberet enim Deus poni in una lance; & peccati delectatio in alià: & sine dubio præponderaret Deus. Hugo Card. in Gen. 27.

Exentera hunc piscem. Tob. 6. 5. Peccatum, quod te devorare vult, exentera: cogita, quid voluptati illi, quid honori, quid divitiis, subit? hoc animæ tuæ oculos curabit. Dicit David: *in circuitu impij ambulans*, id est, externa tantum peccati spectant; quod intus est, negligunt. Diez. conc. 2. in die S. Andreæ.

Visitans speciem tuam non peccabis. Job. 5. 24. Speciem hic, pulchritudinem animæ dixit. Animæ tuæ speciem sæpius introspectas; & ita, custoditus protectione misericordiæ illius, non peccabis. V. Beda hic.

Confige timore tuo carnes meas. Pl. 118. 120. S. Ambrosius legit: *confige clavis à timore tuo carnes meas.* & addit hic: qui diligit Domini testimonium, configit clavis carnes suas; sciens, quòd

vetus homo crucifixus est. Confige ergo te clavis, & destrue fomenta peccati: moriatur in te illecebra omnium delictorum; libertatem vagandi cupiditas non habeat cruci affixa. Naldani anno Crucif.

Cecidimus, quasi folium, universi; & iniquitates nostræ, quasi ventus, absterunt nos. II. 64. 6. Folium deciduum non curamus levare: ventus non videtur. Oleaster hic: ventus sunt iniquitates nostræ; neque reputantur, quoniam non videntur, quemadmodum neque ventus sed maximo impetu homines ad inferos impellunt. Novarinus Elect. Sacr. 1. 3.

Ex Novo, Patribus, & aliis.

Ducite cautè. Marci 14. 44. Quod impiè dixit proditor, nos piè dicamus. Teneamus Deum nostrum, amoris vinculis constringamus; & ducamus cautè, hoc est, caveamus peccata omnia, nè à nobis recedat. S. Cyprianus 3. in Matth. 26.

Cum morte suscepta exemplum dedit hominibus, usque ad mortem resistere adversum peccatum. Origenes in ep. ad Rom. 1. 4. in c. 5.

Quid potest Mundus promittere? quidquid libet, promittat; fortassis castro morituro promittit, Et quæ fronte ad illum, qui manet in æternum, exiturus es? sed minatur mihi potens homo, ut aliquid mali faciam. Quid minatur? carceres, catenas, ignes, tormenta, bestias? nunquid ignem æternum? Exhorresce, quod minatur omnipotens; ama, quod pollicetur omnipotens: & vilescit omnis Mundus, sive promittens, sive terrens. S. August. in ep. S. Joan. tr. 3.

Vitium momentaneam habet voluptatem, dolorem verò perpetuum, S. Chrysol. tom. 6. hom. de Anna.

Fecit quisquam peccatum, ut aliquam caperet voluptatem: remanet, quod damnat; præterit, quod delectat. S. Cæsarius Arel. hom. 4.

Diabolus nullà præcedentis peccati vindictâ superbiens peccavit; eò, visâ ejus poenâ, non continens ad peccatum properavi. Ille in innocentia constitutus; ego verò restitutus: ille perstitit in malitia, Deò reprobante; ego verò Deò revocante: ille contra non requirentem se; ego verò contra morientem pro me. S. Anselmus 1. de casu diaboli.

Terreat te timor Judicii terribilis, metus gehennæ, laquei mortis, dolores Inferni, ignis urens, vermis mordens, sepulchrum fœtens, flamma tartarea; & tandem omnia mala: ut tandem clames: in æternum non peccabo. Hugo à S. Vict. l. 3. de anima.

Diabolus angelus malus; diabolus homo iniquus: diabolus, angelus irre conversibilis est; homodiabolus, obstinatus: & cum homo usque in finem per liberum arbitrium mutabilis maneat, diabolus à Christo non vocaretur; nisi ab ipso in malo proposito immutabilis præficeretur. Joan. 6. 71. *ex vobis unus diabolus est.* Sim. Cals. l. 8. c. 31.

§. XXI